

Lingua Latina Viva Romae

Oratio mea agitur de cursu aestivo linguae Latinae Romae dato, nomine “Living Latin in Rome.” Hic est primus et maximus cursus Instituti Paideia, cuius Instituti ego sum et praeceps et in quo etiam doceo. Ut fortasse iam scitis, cum institutum Paideia anno bis millesimo decimo conditum sit, traditio linguae Latinae vivae Romae docendae plus quam viginti annos abhinc incepit. Ille notissimus Reginaldus Foster, Secretarius in aedibus Vaticanis et magister apud universitatem pontificalem Gregorianam, cursum linguae Latinae discipulis permultis et ex plurimis terris dare solebat. Haec institutio fiebat usque ad annum bis millesimum octavum, cum salute deficiente Reginaldus nolens se in otium dare coactus esset. Tum, anno bis millesimo decimo, ut supra dixi, nonnulli quondam discipuli Reginaldi condiderunt Institutum Paideia, quod traditionem Reginaldianam in saeculum vigesimum primum ferret.

Hac historia explorata, nonnullum de rebus ipsis quas Romae faciamus. Modus docendi noster est litteras Latinas ex tota Latinitate docere non solum Romae sed etiam in praeclaris regionibus. Ut aliter dicam, locos et loca simul docemus. Exempli gratia: mane discipuli legunt Senecae et Ciceronis epistolas, in quibus litteris illi magni auctores de ludis gladiatoriiis disserunt. Meridie, convenimus apud Colosseum, intramus in monumentum, et sub fornicibus Colossei ipsius partes oratorum agimus. Alii orant pro ludis gladiatoriiis, dicentes haec spectacula usui esse rei publicae Romanae. Alii in ludos loquuntur dictitantes hos ludos civitati nocere. Orationes dantur Latine discipulis conantibus verba Ciceronis et Senecae quam maxime et meminisse et ipsos adhibere. Imperitiores discipuli auxiliis quibusdam legunt. Peritiores extempore loqui debent.

Non nulla verba dicere de lingua Latina loquenda, quae res magnam partem in ratione docendi nostra agit. Etsi quotannis lingua Latina viva benignius accipitur a facultatibus

litterarum, perseverat tamen opinio quorundam ‘senium sevirorum’ qui linguam Latinam ut parvulum puerum tractent autumantes eam decere solum videri, sed non audiri. Unde tam durae sententiae? Ennumerabo quas audivi: qui dicant puram eloquentiam linguae mactari ab loquentibus parum scientibus. Cum loquentes antiquum stylum ignorant, inculcantur pessimi mores quae inhibeant eos quominus veras litteras legant. Sunt alii minus timidi qui Latine loquentes ludibrio habeant. Loqui lingua mortua est nugae agere, et nullo modo prodest discipulis qui linguam mortuam intellegere velint.

His querellis iam data sunt multa responsa a professoribus et clarioribus et peritioribus quam ego. Ergo non respondebo his rebus hodie. Nihilominus vobis dicere volo id quod nos in Instituto nostro facimus et cur ego credam linguam Latinam vivam non solum modum nostrum docendi decere sed etiam discipulos adjuvare posse. Etiam si discipuli nostri multo peritiores urbem Romanam relinquere solent quam cum eam intrent, tamen confitendum est omnibus nobis nullum magistrum et satis gnarum posse docere quemquam discipulum et satis avidum totam linguam Latinam in quinque (nec fortasse quinquaginta) hebdomadibus. Ergo, noster *scopus*, si graecismum mihi patiamini, non est perfecta eruditione Latinae linguae discipulos impertire. Nos conamur, immo, inculcare amorem non solum linguae Latinae sed etiam urbis Romanae et hominum qui Latine locuti sint. Quem amorem credimus Latinam vivam et augere et instigare. Quid mirum, si iam ascendimus Vesuvium ut legamus Plinium, descendimus in antrum Sybillae Cumarum ut Maronis versibus fruamur, discipulos aliquo modo incantari loquentes ipsa antiqua lingua auctorum quos intime ex his unicis cognoscant. Haec incantatio auget amorem linguae Latinae, urbis Romanae, studiorum humaniorum. Discipuli qui hoc amore nutriuntur studebunt litteris classicis avidius apud universitatem. Hic amor etiam nos nunc magistros factos praeservavit et instigavit ad altiora studia conficienda. Hic amor longas noctes in deserta

biblioteca sustinuit. Hic amor efficit ut aliquis se studio humanistico dedicet, cum parentes et mores et communis opinio omnium dissuadeant. Hunc amorem credo, si eo discipulos nostros incendere discamus, servaturum esse disciplinam nostram ex faucibus oblivionis iam artes minantibus.

Haec oratio mea, amici, nunc Latine habetur. Sed nos non credimus immergere nostros discipulos semper in lingua Latina esse optimum modum his difficultatibus solvendis. Romae enim nos saepe Anglice cum nostris colloquimur. Cur? Quia maxima pars "Paideiae" nostrae componitur ex amicitia inter magistros discipulosque. Credimus hanc amicitiam debere coli sine quaquam fictione. Ergo, ambulantes in viis antiquis, loquimur de vita futura, de eo quod discipulis est cordi et quod ex vita excipere sperant. Hoc in modo, lingua Latina viva eis demonstratur ut exercitium vivax potius quam modus vivendi aliquomodo secretus. Hoc modo lingua Latina ut via ad sapientiam antiquam potius quam exitus ex mundo moderno revelatur. Ego haec opinor, amici, et nonnulli ex vobis fortasse dissentimini. Haec colloquia, feliciter, nobis dant facultatem amice discutiendi dissentiendique.

Nuper multi docti philologi viderunt articulum maximi momenti inscripti "Humanist Heal Thyself" in notissimo acto nominato *The Chronicle of Higher Education*. Hoc studium tristissime praeconavit quoque anno pauciores studia humaniora eligere. Et quaenam ratio profertur? Paucis: necessere invenire novos modos docendi qui non modo discipulos ad studia humaniora melius pelliciant sed etiam qui discipulos iam attractos persuadeant studia humaniora facere operae pretium. Nos credimus unum talem modum invenisse, qui linguam Latinam vivam et discipulos ut amicos videat.